

2. D. B. V.
DISPUTATIO
DE
COMMERCIO ANI-
MÆ ET CORPORIS,

QVAM
PRÆSIDE
JOH. GEORG. ABICHTIO
S.S. THEOL. D. EJUSD. P. P. ATHEN. RECT.
ET AD ÆD. S.S. TRIN. PAST.

IN AUDITORIO ORDINARIO

D. VI. JUL. A. O. R. cIɔ DCC XXIX.

HORA IX.

PLACIDÆ LITERATORUM DISQVISITIONI
SUBJICIT.

RESPONDENS
JAC. FRID. RHANÆUS,
CURONUS. PHIL. ST.

G E D A N I ,

Typis THOMÆ JOHANNIS SCHREIBER ,
SENATUS ET ATHENÆI
TYPOGRAPHI.

Coll. diss. A
1, 5

a. I.s.



V I R O
PLURIMUM REVERENDO,
AMPLISSIMO, DOCTISSIMO,
D O M I N O
IOANNI FRIEDERICO
RHANÆO,
UT PASTORI
NUNC LOCI GRAMSDÆNÆ,

(per αναγραμμα pur.

EGO IN COR NOMINALIA RE-
DUCO ANNARIA, ET INDE HIS
PRECOR FAUSTA)
PARENTI MEO HONORATISSIMO


Omnique filiali amore in æternum nunquam
satis prosequendo ,

Per jejunum aliquod αναγραμμα, *Nominalia*, qvæ d. XXIV. Jun.
Fest. Joh. Bapt. St. N. & d. V. Jul. St. V. a. c. affulgent, *fausta*, si-
mulac augustissima ac immarcessibili prosperitate conjuncta, ar-
dentissimo filialis amoris affectu ductus *apprecatur*,

Et has meditationes theologicas ceu filialis ve-
nerationis pignus offert, dedicat.

Filius ad nutum obedientissimus :

JAC. FRIED. RHANÆUS.





DE COMMERCIO ANIMÆ ET CORPORIS.

§. I.



Onstat, plurimas disputationes de commercio animæ & corporis ab Eruditis institutas fuisse, qvas recensere supervacaneum duco. Quidam putarunt, animam non agere in corpus, nec corpus in animam, sed animam saltem occasionem dare, ut DEUS in corpore faciat, qvod illa vult, & corpus occasionem dare, ut DEUS menti notum faciat, qvid in corpore fiat. Inde systema Causarum occasionalium ortum est, qvod Cartesio adscribitur. Alii existimarunt, animam influere in corpus, & corpus in animam motuqve physico utriusqve actiones produci, qvod systema influxus appellarunt, & Aristotelem Autorem habet. Alii deniqve sistema Harmoniæ præstabilitæ excogitarunt, & docuerunt, neqve animam in corpus, neqve corpus in animam

mam agere, sed corpus moveri secundum leges causarum efficientium & animam agere secundum leges logico-morales, & ex sapientissimo DEI decreto, animæ volitiones respondere harmonice corporis actionibus, & passionibus; quam hypothesin Leibnizius invenit.

§. II.

Nostrum non est referre, quæ ab aliis Eruditis Viris prolixè factis discussa sunt. Eruditi enim fatentur Systemata illa omnia suis laborare difficultatibus. Operam daturi sumus, ut aliquam hypothesin propo-namus, quæ commercium animæ & corporis clare explicat, ejusque fundamenta collocabimus, primo: in sufficienti possibilitatis ratione, & secundo: in constanti experientia.

§. III.

Supponimus, quod a nemine negatur, DEUM omnium rerum Conditorem movere corpora, v. g. solem, lunam, reliquosque planetas. Qvi omnes res condidit, easdem quoque movet. Existimamus, DEum conditas res non movere influxu physico, quia immaterialis est; sed influxu divino, nempe omnipotenti sua voluntate. Modus quo omnipotens DEI voluntas vel imperium res movet, captum mentis humanæ excedit, intellectus enim noster, suos agnoscit limites; certus vero est ille motus, & a nemine in dubium vocatur; uti intellectus & voluntas DEI certus est, licet nostrum intellectum excedat.

§ IV.

Supponimus porro, DEum omnia percipere, quæ in mundo materiali fiunt. v. g. siccitatem terræ, commotionem marium, preces & sermones hominum &c. sed quo modo hæc DEus percipiat etiam intellectum humanum excedit. DEus enim, qui nulla sensuum organa habet, sine iis, sineque ullo contactu cuncta percipit.

§. V.

Porro supponimus, possibile esse DEo omnipotenti, creare substantias sibi quodammodo similes, usque spirituales facultates dare, tam quædam corpora movendi, quam motus corporum percipiendi. Possibile

bile hoc esse, nemo negabit, qvia DEus est omnipotens, quem nemo limitibus includere audebit. Si DEus non creasset ejusmodi substantias, nulla in mundo creato esset creatura, qvæ DEum & ejus opera intelligeret. Existimamus porro, uti DEus res creatas movet imperio suo, vel voluntate, sic substantias DEo quodammodo similes ab Eoqve creatas, habere posse facultatem, licet maxime limitatam, voluntate sua movendi corpora quædam & percipiendi motus corporum sine contactu.

§. VI.

Ex his supponere possumus, animam nostram esse substantiam DEo quodammodo similem, qvæ habet potentias voluntate vel imperio suo suum corpus movendi, ut & motus corporis sine contactu percipiendi. Qui hanc possibilitatem negat, DEi Creatoris Omnipotentiam labefactat.

§. VII.

Hanc possibilitatem confirmamus experientia nostra. Omnes experimur manum nostram scribere ad voluntatis nostræ imperium, & animam percipere, qvæ a manu scripta sunt. Experimur, corpus nostrum sese movere ad voluntatis nostræ imperium, & animam percipere motus quosdam, qui in corpore nostro fiunt. Sed experimur simul tam facultatem movendi corpus, quam facultatem percipiendi externos motus, admodum esse limitatam. Non Dii sunt nostræ animæ, sed substantiae DEo quodammodo similes, eum in finem creatæ, ut Conditorem suum, ejusque opera cognoscant.

§. VIII.

Commercium animæ & corporis ita est comparatum, ut anima spirituali volendi facultate, quam a DEo accepit, moveat corpus sine influxu; & spirituali intelligendi facultate, percipiat motus in corpore factos, sine ullo contactu. Tales facultates erant necessariæ ut intelligamus, qva ratione DEus mundum materialem moveat & dirigit; ut & qva ratione Ille omnia sciat, qvæ in mundo materiali fiunt. Sic carere possumus influxu physico, qui legem motus violat, quod plures observarunt. Nec opus est, ut dicamus, per concursum DEi

DEi determinari vim animæ ad percepciones motuum in corpore factorum, & per eundem dirigi spiritus animales ad productiones motuum ab anima volitorum. Evitamus quoque difficultates harmoniæ præstabilitæ oppositas. Hoc unicum in nostra hypothesi ponitur, animam habere spiritualem quendam facultatem commovendi quendam corpora, & percipiendi corporum quorundam motus, quod ex supra dictis non solum possibile est, sed etiam quotidiana omnium hominum experientia confirmatur.

§. IX.

Si queras, qua ratione corpus, vel membra ejus moveantur imperio voluntatis nostræ; Respondeamus, uti planetæ DEi imperio moventur, sic membra corporis nostri, v. g. manus, pedes moventur imperio mentis nostræ. Possibilem talem motum esse, ex supra dictis constat, talem enim animam DEus creare potest. Talem existere motum membrorum nostrorum, experientia testatur, nam ad imperium animæ meæ manus mea scribit, & pedes ambulant. Si queras porro, qua ratione percipiat anima nostra actiones in corpore factas; Respondeamus: Uti DEus percipit omnia, quæ in universo fiunt mundo, sic etiam anima nostra percipit, quæ fiunt in corpore nostro. Possibilitas constat, & experientia id testatur.

§. X.

Insunt animæ nostræ plures spirituales potentiae, quas lubenter admittimus. Adebet potentia varia intelligendi, ratiocinandi, finem proponendi, & media ad eum ducentia feligendi. Adebet potentia DEum cognoscendi, eum laudandi & adorandi. Dedit DEus tales potentias animæ nostræ eum in finem, ut agnoscamus Conditorem & Conservatorem rerum omnium. Si demeris animæ nostræ has potentias, nullus homo DEum cognoscere poterit. Nemo sapientiam, potentiam & benignitatem DEi agnoscat. Admiranda est animæ humanæ acies & penetratio, inventionum subtilitas, memoriae profunditas, prudentia &c. quæ omnia divinitatis radiis lucent. Elevatur anima nostra ex pulvere particularum, in quem a quibusdam detruditur, & reducitur quodammodo in dignitatem a DEo acceptam.

§. XI. Licit

§. XI.

Licet anima nostra potentiis divinis sit ornata, non tamen DEus, nec particula DEi, sed creatura est, cuius potentiae maxime illi tanta sunt. Imperium animæ est maxime limitatum, id enim se non extendit ad omnia, sed saltem ad quædam corporis membra. v. g. imperium voluntatis se extendit ad brachia, manus, pedes, aliaque membra, quibus libere agimus. Reliqua membra quæ vitae sustentationi inseruiunt, nostræ voluntati non sunt subjecta: sic v. g. motus cordis, sanguinis, stomachi & intestinorum, non moventur ad nostræ voluntatis beneplacitum. Sic nec pulmonum putredo ab anima nostra percipitur, nec cerebri corruptio, quod Chirurgi observarunt, ab anima sentitur. Dicam, quid sentiam; DEus illos motus corporis subjecit voluntatis arbitrio, qui ad virtutis vel vitii exercitium spectant; quæ vero ad vitæ sustentationem pertinent, DEus nostro arbitrio eximere, & suo arbitrio subjicere voluit. Hinc motus cordis, circulatio sanguinis &c. non nostro, sed Summi Creatoris beneplacito moventur.

§. XII.

DEus benignissimus, qui animæ nostræ divinas potentias dedit, easdem quandoque auferre solet. Prostat exemplum Nebucadnezaris magni, qui cum volente & permittente DEo tot victorias impetrasset, & in fastigium summorum Imperantium ascendisset, privatus quibusdam animæ potentiis, & in ferarum sortem detrusus in consortio earum vivere coactus est. DEus certe, quos extulit in fastigium, faciliter detrudere potest, quia benefactoris Summi benitatem non agnoscunt, & nescio, quibus imbecillis mentis deliriis decepti, Creatorem suum benignissimum contemnunt.

§. XIII.

E dictis etiam intelligimus, animam præsentem esse corpori intelligendo & volendo: Hinc animæ intellectus in momento percipit ictum extremi digiti in pede; Et ejus voluntas movet in momento digitos manus, quod in citharoedis imprimis observamus. DEus omnibus rebus creatis præsens est intellectu suo & voluntate, intelligit enim omnia & operatur omnia voluntate, vel absoluta vel ordinata. Ani-

B

ma

ma, qvæ DEo qvodammodo similis, etiam præsens est suo corpori intellectu & voluntate. Sed qvia animæ intellectus est maxime limitatus ideo qvædam saltem non omnia intelligit, qvæ in corpore fiunt. Voluntas qvoqve animæ est arctis limitibus inclusa, ideo non omnia, sed qvædam saltem in corpore operatur. Præsentia animæ non indiget spatio in corpore, mentes enim qvæ intelligendo & volendo præsentes sunt in corpore, non indigent spacio. Deus qvi omnibus rebus creatis præsens est intelligendo & volendo non indiget spatio. Res ex particulis compositæ & extensæ præsentes sunt in spatio, non mentes. Hanc animæ præsentiam percipimus facile omnes, & ex ea concludimus omnipræsentiam DEi in omnibus creaturis. Sed qvoniam mentis potentiae se saltem ad corpus organicum extendunt, sequitur mentis præsentiam corpore esse definitam.

§. XIV.

Ut animam nostram evidenter cognoscamus proponam viam, qva ad ejus notitiam adscendimus. Observamus in nobis operationes intellectus & voluntatis cum conscientia. v. g. Conscius sum, me jam describere viam, qva in notitiam animæ penetramus. Harum operationum anima mea conscientia est, earumqve notitia mihi clara est & distincta. Ex his operationibus animæ cognosco ejus potentias; Cognosco animam meam habere potentiam res qvasdam intelligendi, volendi, decernendi, nec non manum movendi ad beneplacitum meum. Has potentias colligimus ex operationibus præcedentibus, earumqve conscientia sumus, sed tam clare & distincte eas non cognoscimus, uti ipsas operationes. Cognoscimus porro has potentias inesse alicui subjecto. Uti operationes supponunt potentias, sic potentiae supponunt subjectum cui inhærent. Sed hoc subjectum nobis tam clarum & distinctum non est, uti ejus operationes. Hac via cognoscimus animam; primo cognoscimus operationes ejus; deinde per has cognoscimus potentias, & tandem per has ejus subjectum.

§. XV.

De subjecto potentiarum illarum præcipua est controversia. Quidam enim putant, subjectum potentiarum intelligendi, volendi, agendi

agendi in corpus, & percipiendi quid in corpore nostro fiat, esse materiale. Dicunt: in homine esse duo attributa, cogitationem & extensionem, & sic unam saltem substantiam admittunt, quæ cogitat & extensa est. Magnum est hujus controversiæ momentum, qui enim mentem & corpus confundunt, & animæ immortalitatem negant, fundamenta religionis & civilis societatis subruunt, omnemque præmiorum spem & pœnarum metum in securitate vita tollunt.

§. XVI.

Lubenter fateor, me vel operationes, vel potentias animæ considerantem, nihil materiale cognoscere. Cum res materiales contemplamur, cognoscimus extensiones, varias figuræ & motus; sed cum animæ operationes & potentias consideramus, cognoscimus intellectiones, volitiones, judicia &c. quorum omnium sumus consci. Ex quibus concludimus: subjectum, cui potentiae insunt, non esse materiale. Nemo percipere, nemoque dicere potest, qua ratione ex materiae figuris & motibus resultet potentia intelligendi, volendi, judicandi. Distincte cognosco materiam, quadratam, rotundam, vel cujuscunq; sit figuræ & quemcunq; habeat motum, non esse subjectum cogitationum, & volitionum, quarum nos consci sumus. Nos substantias cognoscimus per operationes & potentias, & necesse est, ut talia sint subjecta, quales sunt potentiae & operationes. Potentiae vero & operationes animæ non sunt materiales, E. nec subjectum materiale erit. Adverto, DEum omnipotentem, præter substantias materiales, etiam alias immateriales, quæ ex nullis particulis compositæ, sed simplices sunt, creare potuisse. Si perpendo, DEum creare potuisse substantias spirituales, sibi quodammodo similes; cognosco substantias spirituales esse possibles. Si experientiam respicio, cognosco tales substantias esse in hominibus, quas animas & mentes cogitantes nominamus. Inde cognoscimus Substantias spirituales immateriales revera existere.

§. XVII.

Dicis: In confessu est, posse duo attributa, cogitationis & extensionis, in uno subjecto concurrere, hominem enim cogitare & esse exter-

extensum. Respondemus, posse quidem in uno subjecto duo illa attributa concurrere, sed ipsa attributa manere distincta, substantiasque distinctas indicare. Duas diversas substantias uniri posse per DEi voluntatem, nemo dubitat. Constat homo duabus substantiis, altera spirituali, altera materiali. Si negas duas substantias hominis, necesse est, ut ostendas, qva ratione spirituales potentiae ex materia resultent, qvod est impossibile. Ostendendum est, qvomodo materia sit sibi conscientia, qvomodo intelligat, velit, ratiocinetur &c. Hæc ita declaranda sunt, ut cognoscamus qvomo do istæ potentiae & operationes spirituales fiant ex natura materiae, qvod impossibile.

§ XVIII.

Fortasse dicis: cogitationes esse actiones & reactiones materiae. Respondemus, circulatio sanguinis, motus intestinalium, &c. etiam esse actiones & reactiones, qvæ tam ab animæ voluntate non dependent, qvod supra vidimus; nec mens omnium motuum, qui in corpore fiunt, est conscientia. Præterea cognoscimus, DEum cogitare, intelligere, velle, nolle; qværo itaque an hæc DEi operationes etiam sint actiones & reactiones? quis hoc affirmabit? Si itaque cogitare, velle, nolle, in DEo sunt actiones spirituales, qvæ non ex materia sed ex Spiritu proveniunt; verissime colligimus, nostrum cogitare, intelligere, velle, nolle, non prodire ex substantia materiali sed spirituali.

§. XIX.

Subjectum potentiarum & operationum animæ non esse minimas particulas vel atomos, inde quoque constat, qvod haec ejusdem sint naturæ cum corporibus majoribus, admittantque easdem figuræ, eosdemque motus, quos in majoribus conspicimus. Differentia subtilissimorum & crassorum corporum provenit ex relatione, quam ad sensus nostros habent, diversâ. Uti ex corporum crassiorum variis figuris & motibus, nulla prodit cogitatio, sic neque ex subtilissimarum particularum congerie illa prodire poterit. Si ponamus minimam quandam particulam cogitare, necesse est, ut cogitatio ipsi insit vel per

per naturam, vel per externam accessionem. Sed cogitatio particulæ inesse non potest per naturam, sic enim ipsi esset essentialis & ab ea separari non posset, sic semper cogitarent particulæ in omnibus locis, quod absurdum. Si cogitatio particulæ inest per externam accessionem, necesse est, ut hoc fiat ex variatione figuræ, motus & situs ad aliam particulam vel corpus. Si vero cogitationes ex figurarum & motuum diversitate promanarent, non apparet ratio, cur majora corpora easdem figuras & motus admittentia non multo magis cogitent, quam minora.

§. XX.

Qui potentias & operationes animæ considerat, retrahitur a materia, nullas enim figuras vel motus invenit; attrahitur vero ad substantiam spiritualem DEoqve perfectissimo Spiritui quodammodo similem, quia Deus substantia spiritualis est & certissime cogitat. Sic potentia & operationes animæ nos ad spirituale subjectum per naturam suam ducunt. Si cognosceremus ex operationibus & potentiis animæ, cogitationes esse figuras vel rotundas vel quadratus, vel motus materiae, dicendum esset, subjectum potentiarum & operationum esse materiale; Sed quia nihil tale cognoscimus, non appareat ratio cur subjectum materiale contra naturæ ductum statuamus.

§. XXI.

Objiciunt quidam contra immaterialitatem animæ: Qvicquid non habet partes extra partes, id aut Deus est, aut nihil. Anima non habet partes extra partes, quia immaterialis est. Ergo. Respondemus: dari tertium: Qvicquid non habet partes extra partes, illud aut Deus est, aut aliiquid simile DEo, aut nihil. Anima est aliiquid simile DEo, possibile enim est DEo, creare substantiam spiritualem & sibi quodammodo similem; & talem existere, experientia testatur.

§. XXII.

Objiciunt quidam porro: Si anima est immaterialis, sequitur, eam non posse movere corpus, quia inter animam immateriale & mo-

& motum corporis, nullus concipitur contactus. Respondemus si anima est substantia DEo qvodammodo similis, seqvitur, qvod voluntatis imperio sine contactu corpus suum movere poscit. DEus enim sine contactu, suo omnipotenti imperio omnia movet.

§. XXIII.

Si dixeris: Materiale corpus animæ materiali figuram imprimere, & sic animam perciperere, qvid in corpore fiat; animam qvoqve materialem posse corpus movere, & sic corpus facere qvod præcipit anima. Respondemus: Cum corpus corpori figuram imprimit, eam imprimit, qvæ corpus tangit. Sic sigillum ceræ imprimit figuram, qva ceram tangit; Sed talis impressa figura non est cogitatio. Qvando anima figuram percipit, plura percipit, quam figuram impressam. Ponamus nos videre domum similem domui, in qva habitavimus. Anima non solum percipit figuram domus jam obviam, sed cogitat etiam hanc domum similem esse alii, in qva habitavimus. Hoc non fieret, si animæ materiali figura imprimetur. Addo animam materialem non posse esse conscientiam figuræ impressæ. Negamus qvoqve, animam materialem posse membris corporis imperare tot motuum directiones, ut in lineis rectis, curvis &c. sursum & deorsum abeant. Hæ directiones non nisi a substantia spirituali divinis potentiis prædita, prodire possunt.

§. XXIV.

Ex nostra hypothesi cognoscitur possibile esse, DEum creasse mundum suæ voluntatis imperio. Qui enim advertit manus nostras se se movere ad imperium voluntatis nostræ, sine interveniente contactu

• OTTE 35

contactu, ille facile cognoscit, DEum omnipotentem suæ voluntatis imperio, movere posse corpora coelestia sine ullo contactu. Deinde altius adscendendo etiam quodammodo cognoscimus. DEum suo omnipotenti voluntatis imperio posse creare substantias varias. Et hoc ipsum est, quod Scriptura S. nobis confirmat Ps XXXII. 9. *Nam Deus dixit, & factum est; Ipse præcepit, & adstitit.* Difficultas quam ratio opponit, desumitur ex naturali cursu naturæ, quæ nos docet, creaturas materiales generari per creaturas. Si vero perpendamus, creationem vel omnium rerum primam productiōnem multum differre a naturali generatione, facile difficultatem illam tollimus. Deus enim omnipotens creator suæ voluntatis imperio creat non solum creaturas sibi quodammodo similes, mentes nostras, vel animas; sed etiam dissimiles, substantias materiales.

§. XXV.

Cum de anima DEo Creatori quodammodo simili loquimur, non intelligimus proprie dictam imaginem & similitudinem DEi, quam Scriptura S. describit, & quam interiorem virium animæ integratam & rectitudinem primo homini concretam denotat, quam amissam esse S. Scriptura testatur; sed respicimus improprie dictam, quam animæ essentia refert, nempe substantiam & potentias intelligendi, volendi, movendi corpus & percipiendi, quæ in corpore fiunt. Quo sensu plures Ecclesiæ patres usi sunt, quorum sententias collegit B. Joh. Gerhard. T. II. LL. Theol. de Imagine DEi §. 26.

§. XXVI.

Possemus plura addere, sed hæc sufficere videntur, quia saltem tentami-

tentaminis loco prodeunt. Qvi his principiis insistere voluerint, singularem animæ dignitatem, & Summi Creatoris majestatem cognoscent. Libertatem quoque animæ salvam & incolument conservabunt, qvæ propter religionis veritatem & Reipublicæ commoda afferenda. Libere enim quædam actiones corpori imperantur, vel prohibentur, qvæ, si legi divinæ conformes, bonæ; si difformes malæ sunt. Exerit se virtus & vitium ad nostræ voluntatis nutum, unde præmia & poenæ sequuntur.

SOLI DEO GLORIA.



IVXX .2

modell auf - und die - und bei - webbs - auf - zum -

Coll. diss. A. 1, misc. 5